



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XLII. Dilecto amico Eada presbytero. Alcinvs Salvtem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

Dilecto amico Eada presbytero,

ALCVINVS SALVTEM.

Dilectionis tuæ munera magna deuotionis lætitiæ suscepi; desiderans donante Domino Christo prosperitatem vos & præsentem habere, atque salutem: agnoscens antiquæ in vobis munificentia largitatem. Quapropter & in nobis antiquæ fidei reformatio micitiam.

1. Cor. 7.

Iacob. 2.

Vtinam, vt diuina clementia in nobis vsque in fine vitæ perseuerare faciat, q̄ ab ineunte ætate in vobis operari dignatus est. Præterit enim figura huius temporis; & circo necesse est, vt nos dies extrema in dilectionis geminis sobrietate vestitos inueniat. Quia qui offenderit in vno, est, in vno charitatis præcepto, factus est omnium reus.

Habeto nos, obsecro, socios beatitudinis tuæ, sicut cupimus socium habere prosperitatis nostræ: & orationibus deuotionis vestræ deduc nos in eundem paupertatis gradum, in quo, perficiente Deo, salubriter consistis. Tenes in manibus, quod nos olim tenere cogitauimus. Sed fluctus seculi nostram nauiculam procellosis ventis, in voraginem diuitiarum rapuerunt. Sed te precor, vt me peccatis in portum quietis reuocare studeas. Cupis sed non facio. Tranquilla est paupertas, quam felix olim amasti.

Matth. 5.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sed paupertas hæc, humilitatis gubernaculo regatur: & charitatis velo flante sancto Spiritu in eam, æternæ beatitudinis portum perueniat: vbi mei nominis memor intercedere pro mea infelicitate, te supplex obsecro.

cro, vt duplicem habeas mercedem: vnā, tui ipsius; alterā, fratris tui. Vtinam, vt merear te videre cum lætitia illic, si hīc fieri non possit.

Diuina te gratia comitetur, & in omni bono florere faciat, vt multiplici bonorum operum fructu vitam merearis ingredi sempiternam.

EPISTOLA XLIIII.

Pio patri Felici Episcopo.

ALCVINI HVMILIS LEVITA

salutem.

ALiquorum fratrum relatione, nobis notissimus es, pietate, etsi non facie. quapropter præsumpsi per fiduciam charitatis, quæ est Christus, volens me ipsum tuis, tuorumq; fidelium, per te, sacrosanctis orationibus commendare: non meis meritis exigentibus, sed tuis bonis rumoribus instigantibus. Quapropter supplex obsecro, vt me ea charitate Saluatori nostro commendetis, qua ille omnes suos coniunxit. Charitas enim neminem spernit.

Per eum, & propter eum, qui venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, & veniet ad iudicium, iustos coronare: vt tunc ego peccator, vel veniam per vestras orationes accipiam, vbi vos per DEI misericordiam, coronam accipiatis.

State fratres, & viriliter pugnate pro eo, qui fortiter pro vobis vincebat. Non quisquis cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit. Et proficiscimini de die in diem, sicut sancti DEI, qui ibunt de virtute in virtutem.

M 3

Plura